



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. V. Vtrum prædictæ locutiones sint veræ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS IV.

*Virum predictis verbis formarum insi:
aliqua vis creata effectiua con-
secrationis?*

Resp. affir.

AFFIRMAT, quam rem fusiùs disputauimus
quæst. 62.

ARTICVLVS V.

Virum predicta locutiones sint verae?

Resp. affir.

AFFIRMAT, non quòd suum obiectum præ-
supponat, seu rem per illa significatam esse
in principio orationis, (quod nullo modo postu-
lat veritas orationis) sed significant esse saltem in
termino; quòd verum est, cum substantia panis &
vini in eodem termino verè conuertatur in corpus
& sanguinem Christi.

DV BIVM I.

*Quid designet particula, Hoc, in hac pro-
positione, Hoc est corpus meum?*

32.

Argumen-
tum hære-
ticorū con-
tra veritatē
corporis
Christi in
Eucharis-
tia.

INTER cætera argumenta, quibus hæretici co-
nantur probare corpus Christi non esse verè,
& realiter in Eucharistia, vnum ducitur ex formâ
consecrationis, *hoc est corpus meum*. nam in eâ pro-
positione, *Hoc*, demonstrat panem, atqui panis non
est verè, & realiter corpus Christi, ergo. Maior
probat, particula *Hoc* demonstrat id, quòd sa-
cerdos tenet præ manibus, vel habet præsens; illud
autem est panis.

Confir. 1. particula, *Hoc*, demonstrat aliquid an-
te finem orationis, non potest autem aliud de-
monstrare, quàm panem.

Confir. 2. hæc particula designat singularem sub-
stantiam, non aliam, quàm panem, ergo. Antece-
dens probatur pro priori parte, hæc propositio
omnium iudicio est singularis; atqui non posset
esse singularis nisi significaret substantiam singu-
larem; & ita sensus Berengarius, teste Guitmund.
lib. 2. de veritate corporis & sanguinis Chris-
ti in Eucharistia post medium, quem sequuntur
Caluinistæ.

33.

Quorun-
dā Catho-
licorum o-
pinio.

Ex eâ occasione quæritur quid designet prono-
men, *Hoc*; & quidem, prætermisso hoc hæretico-
rum errore, quidam Catholici censent denotare
contentum sub his speciebus, ita vt, cum dicitur:
hoc est corpus meum, idem sit, atque: contentum sub
his speciebus est corpus meum, & proinde subie-
ctum huius propositionis sit singulare sub quadâ
ratione communi expressum, tenent Palud. dist. 8.
quæst. 3. art. 1. Capr. quæst. vnica art. 3. ad 1. Sco-
ti contra 5. conclusionem, & alij quibus videtur
accedere D. Th. hic. Secundum hanc explicatio-
nem patet quomodo propositio sit vera, quia ve-
rum est, contentum sub his speciebus est corpus
Christi, licet enim sub speciebus vsque ad finem
orationis sit substantia panis, tamen in fine poni-
tur corpus Christi, quòd enuntiatur per illam
propositionem.

34.

Alia opinio
aliorum.

Aliorum sententia est quòd particula, *Hoc*, de-
monstret quidem aliquid, non tamen sortiat, suū
significatum ante finem orationis, sed solum quan-

do ea completur, sitque is sensus, *Hoc*, quòd sub
speciebus est præsens in fine orationis, est corpus
meum. ex quâ explicatione patet quòd significatū
particulæ, *Hoc*, suspendatur vsque ad finem oratio-
nis ante cuius complementum nihil præsens de-
monstret. Hæc sententia est probabilior, melius-
que explicat quomodo propositio sit vera.

Probat, quando quis ducens lineam dicit: *hoc
est linea*, particula, *hæc*, non sortitur suam signifi-
cationem, nec demonstrat quidquam præsens, an-
tequam finiatur oratio, nec desinit esse vera,
etiā si significatio subiecti propositionis suspen-
datur vsque ad finem propositionis: similiter ergo
in præsentia particulæ, *Hoc* non demonstrat quid-
quam quòd sit præsens ante finem propositionis,
cum ponat id, quòd enuntiat.

2. Particula, *Hoc*, designat indiuiduum aliquod
sensibile, quòd non potest designare, nisi eius si-
gnificatio suspendatur vsque ad finem oratio-
nis.

Prior pars antecedentis probatur, cum dicitur:
hoc est corpus meum, non solum demonstratur in-
tellectui, sed sensui, alioquin non esset opus præ-
sentia sensibili ipsius materiæ; igitur illa particu-
la demonstrat indiuiduum sensibile.

Posterior pars patet, si significatio non suspen-
datur, ergo dabitur aliquod indiuiduum sensibi-
le, quòd demonstraretur per illam particulam, *Hoc*,
cum primum est pronuntiata; nullum autem aliud
esse potest, quàm panis, igitur sensus propositio-
nis, *hoc est corpus meum*, erit: *panis est corpus meum*,
quòd intendunt hæretici.

Dices contineri indiuiduum sensibile ex parte
specierum, licet non ex parte eius, quòd significa-
catur in recto. verum id non sufficit, quia hæc
propositio, *hoc est corpus meum*, est singularis; er-
go debet habere singulare subiectum, non est au-
tem singulare, si solum id, quòd ponitur in obli-
quo, sit singulare, quòd verò ponitur in recto,
sit commune, prout iuxta explicationem prio-
ris sententiæ accidit, scilicet contentum sub
his speciebus: nam constat illum terminum, *con-
tentum*, qui ponitur in recto non esse singula-
rem.

Confir. Christus non dixit, *Hoc*, id est, *hæc species*, est
corpus meum, sed, *hoc* per modum subiecti specie-
rum; igitur non sufficit quòd dicatur: contentum
sub his speciebus, sed debet dici: *hoc* contentum.

Dices inuenitur etiam quædam ratio indiuidui
vagi ex parte eius, quòd ponitur in recto.

Resp. id non sufficere, quia particula, *Hoc*, fa-
cit indiuiduum ex demonstratione, (non verò va-
gum, 2. indiuiduum vagum non potest dici de-
monstrari sensui, sicut per pronomen, *Hoc*, de-
monstratio fieri debet.

Ex his patet quomodo hæc oratio, *Hoc est cor-
pus meum*, sit vera, & quid demonstretur per pro-
nomen, *Hoc*; demonstratur enim corpus Chris-
ti sub ratione præsentis sub speciebus, quæ ra-
tio inuenitur in complemento orationis, & non
antè, atque adeò illud pronomen non sortitur
suum significatum ante complementum oratio-
nis.

Dices, iuxta hanc explicationem per hanc pro-
positionem nihil aliud significatur quàm cor-
pus meum est corpus meum, quòd est alienum à com-
muni conceptu, & reiectum à D. Thom. in cor-
pore articuli, quia illa propositio, *corpus meum est
corpus meum*, est propositio identica, & non efficit
corpus Christi.

Resp.

Resp. neg. assumptum, si intelligatur de modo significandi, quia alia est significatio illius termini, *Hoc*, prout subest conceptui, quam *corpus meum*, & proinde propositio non est identica, sicut est illa, *corpus meum est corpus meum*.

Ex dictis deduco particulam, *Hic*, in consecratione calicis denotare aliquid praesens sub speciebus vini in fine orationis.

Sed inter eos, qui posteriorem sententiam sequuntur, controversia est, quomodo accipiantur illae particulae, *Hoc*, & *Hic*, an substantiue, an vero adiectiue? Aliqui existimant sumi substantiue, alii qui vero adiectiue, quae posterior sententia videtur probabilior, & facile patet in forma consecrationis calicis, *Hic est calix sanguinis mei*, in qua particula, *Hic*, sumitur adiectiue. Confir. si substantiue poneretur, interpres non tam accurate posuisset in masculino, ut in genere conveniret cum nomine sanguis, vel calix, cum Graece sit *neutra* in neutro genere, quod commodè verti potuisset, *Hoc*, sed quia intellexit sumi adiectiue, ita vertit ut in genere conveniret cum praedicato.

Dicunt aliqui sumi substantiue & subaudiendum aliquid, sed hoc videtur voluntarie dici, 1. quia oratio plano modo sumpta aliud indicat, 2. quia pronomina adiectiua masculinè expressa non solent sumi substantiue, sed adiectiue, 3. quia vox adiectiue sumpta optimam habet significationem, secundum quam demonstrat praedicatum, dicimus veritate: *haec est linea, hic est sanguis filii tui* &c. quod verò dictum est de particula, *Hic*, dicendum de particula, *Hoc*, in forma consecrationis panis, scilicet sumi adiectiue, quamvis enim de ea maius dubium esse posset, si forma calicis non proferretur cum demonstratione sumpta adiectiue, tamen ex vna adiectiue sumpta deduci potest etiam aliam sumi adiectiue.

Ex quibus deduco sub illis particulis nihil subintelligi ex parte subiecti, sed eas simpliciter referri ad praedicatum, quod demonstrant, quemadmodum cum dicimus, *haec est linea, hic est sanguis filii tui*.

Ex his vterius patet particulam, *Hic*, in consecratione non sumi adverbialiter, sed tanquam pronomen, & certè, si adverbialiter sumeretur, non posset ex forma calicis convinci cum sanguine post verba formae non esse vinum in calice; nam illa propositio, *hic est sanguis*, quando particula, *Hic*, adverbialiter sumitur, non infert abesse vini, vel alterius substantiam, cum simul possint esse vinum & sanguis sub eodem velamine, & tamen ex forma consecrationis optimè deducatur abesse substantiam vini, ut in superioribus deduximus.

Dices 1. particulae, *Hoc*, & *Hic*, adiectiue sumptae non faciunt canteogorema sed syncategorema, & proinde non possunt esse extremum alicuius propositionis.

Resp. quidquid sit de extremo, seu termino sumpto in rigore logico, vulgari modo loquendi adiectivum satis vscatè poni tanquam alterum extremum in aliqua oratione, ut patet exemplis à nobis allatis, & rationes factae ostendunt ita poni particulas in formis consecrationis.

Dices 2. Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. ita loquitur: *quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*. igitur Concil. vult particulam, *Hoc*, idem esse quod contentum sub specie panis.

Resp. neg. consequentiam, si consequens intelligatur quòd Conciliū velit tradere quomodo particula sumatur, & quid præcisè significet in forma:

solum enim vult docere in Ecclesia semper persuasum fuisse corpus Christi esse sub specie panis, quia Christus dixit id, quod offerebat, esse corpus suum, quod verum est, quamvis pronomen, *Hoc*, non sumatur substantiue, & non significet contentum sub his speciebus, sed sumatur adiectiue simpliciter demonstrans corpus Christi: nam ex eo quòd pronomine, *Hoc*, demonstrante corpus Christi dicitur: *hoc est corpus meum*, verè dici potest id, quod offertur, esse corpus Christi.

Ad rationem initio allatam Resp. particulam, *Hoc*, (idem est iudicium de particula, *Hic*) non demonstrare substantiam praesentem, dum proferatur, sed praesentem sub accidentibus in fine orationis, cuius praesentia tunc designetur. vnde negotium maiorem argumenti: Ad cuius probationem dico sacerdotem non demonstrare id quod praesens habet ante finem orationis, sed quod in fine est praesens sub speciebus. vnde patet ad primam confirmationem, ad quam dico demonstrativum nullam substantiam demonstrare per respectum ad tempus quo ipsum pronuntiatur, & quo nondum completa est oratio, sed per respectum ad finem orationis.

Ad secundam Resp. particulam, *Hoc*, non demonstrare substantiam, formaliter loquendo, & ex se, sed adiectiue sumptam demonstrare id quod in praedicato continetur tanquam praesens; quia verò praedicatum est corpus, reipsa demonstrare corpus, ut praesens in fine orationis.

Dices, si haec particula solum designent aliquid ut praesens, quando finitur oratio, ante cuius finem non habeant perfectum significatum; ex forma consecrationis, non potest colligi materiam consecrabilem debere esse praesentem, dum forma pronuntiatur; cuius tamen contrarium supra docuimus cum communi sententia. Probatur, ex particula, *Hoc*, non potest colligi, cum non significet materiam praesentem, immò ne quidem significet contentum sub his speciebus, neque habeat perfectum significatum ante finem orationis.

Resp. neg. assumptum eiusque probationem; si enim nihil sit praesens modo sensibili, non potest adhiberi demonstrativum sensui, quod etiam in fine orationis sit verum. Confir. quamvis demonstrativum, *Hoc*, referatur ad finem orationis quantum ad id quod significat praesens iuxta exigentiam praedicati, requirit tamen ab initio praesentiam specierum sub quibus illud debet constitui.

Ex dictis patet quomodo haec formae sint verae, scilicet practicae, quia ponunt id quod enuntiant, & prout enuntiant; ponunt, inquam, in fine orationis, seu quando completur forma. Sunt etiam verae speculatiue, cum enuntient, sicut se res habet, non quòd obiectum ita se habeat, antequam finiatur oratio, sed in eius fine.

Dices, oratio speculatiue vera supponit suum obiectum ita se habere sicut enuntiat.

Resp. distinguendo, si enim intelligatur quòd semper supponat esse prius tempore, quam enuntietur, fallum est; ut patet in exemplis innumeris, ut enim haec propositio, *Ioannes loquetur*, sit vera, non requiritur, ut locutio quae enuntiat de Ioanne, prius tempore illi insit, quam enuntietur, immò id fieri nequit; cum enim enuntietur aliquid futurum, fieri non potest, ut id praecedat orationem quae enuntiat futurum. idem potest inveniri in propositione de praesenti, nam haec propositio: *ergo taceo*, ad sui veritatem non requirit veritatem obiecti à parte rei antè quam reipsa propositio enuntietur, sed sufficit si in fine illius pro-

Satisfactio
nisi in
allata.

Demonstrativum
nullam substantiam
demonstrat pro
tempore,
quo pronuntiatur.

Obiectio.

Resp.

38.

Haec formae
sunt verae
practicae, &
speculatiue.

Obiectio.

Resp.

ferens taceat. Si verò intelligatur quòd obiectum prius naturà, vel ratione sit per respectu ad durationem, quæ determinatur per copulam, vel ex conditione extremorum, vel ex intentione dicentis, verum est, idque in præsentii inuenitur: nam prius est ratione corpus Christi esse sub speciebus panis in fine orationis, quàm illud ipsum per talem orationem speculatiuè verè enuntiari. vnde

Notandum duplicem veritatem, quæ potest distinguì in huiusmodi propositionibus, diuersimodè se habere respectu corporis Christi, quod enuntiat præsens sub speciebus panis, vel respectu sanguinis, qui enuntiat præsens sub speciebus vini: nam propositiones prius sunt veræ practicè, quàm sit corpus Christi; speculatiuè verò prius est ratione esse corpus, vel sanguinem sub speciebus, quàm censeantur esse veræ: ideo enim sunt veræ speculatiuè, quia corpus vel sanguis sunt sub speciebus in fine orationis.

Discremen
veritatis
practicæ, &
speculati-
uæ.

D V B I V M II.

Utrum forma consecrationis causent suum effectum quatenus veræ, an alia ratione?

39.

Caiet.
Sotus.

CAJETANVS hic, & Sotus dist. 11. quæst. 1. art. 5. sub finem censent causare, vt veras practicè. Sotus verò dist. 8. quæst. 2. §. *aliter ergo*, post medium censet causare ratione significationis, cuius sententiam amplectuntur plerique alij, iuxta quam

Conclus.
Causare
ratione si-
gnificatio-
nis.

Dico, formæ consecrationis sunt causa conuersionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi ratione significationis, quæ est ratio quædam communior & abstractior quàm veritas vel falsitas.

Probat ex ratione generali, quâ Sacramenta ponuntur in genere signi, ergo causant, in quantum sunt signa, & proinde per suam significationem. Confr. Flor. docet *Sacramenta nouæ legis causare gratiam, quam significant*. quibus verbis indicat vim respectu gratiæ competere Sacramentis ratione significationis, ita vt materia, & forma cum significatione sint assumptæ ad gratiam produendam, igitur in præsentii dicendum verba consecrationis esse causam conuersionis ratione significationis. Probat 2. ex Trid. sess. 13. cap. 3. docente corpus Christi esse sub speciebus panis ex vi verborum, quod perinde est, atque ex significatione verborum, igitur verba ratione suæ significationis sunt causa conuersionis panis in corpus Christi.

Obiectio.

Dices idem Concil. sess. citata cap. 4. inde deducit fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, quia Christus verè dixit id, quod offerebat, esse corpus suum, ergo censet verba causare vt verà.

Resp.

Resp. neg. consequentiam, quia collectio est à posteriori, hoc modo: Christus verè dixit id, quod offerebat, esse corpus suum, ergo est, in qua collectione antecedens non est causa consequentis, sed est causa, cur ita colligere possimus, etiam si à posteriori.

Obijcit Sotus nullam esse orationem, quæ non sit verà, vel falsà.

Resp. id non obstat quo minùs oratio spectari possit secundum aliquam aliam rationem, secundum quam ei competat aliqua denominatio, & virtus ex deputatione alterius, scilicet secundum significationem, non quòd illa differat à veritate vel

falsitate, tanquam res à re, sed tanquam conditio eiusdem rei ab alià conditione, quidquid demum sint huiusmodi conditiones, & quomodo cumque inter se distinguantur.

Dices, si verba essent falsà, non causarent.

Resp. inde tantum sequi, quòd in oratione necessario resulter veritas, ex eo quòd causet, per quam à posteriori ostendi possit, quòd causet, non verò sequi quòd ipsa veritas sit ratio causandi. & certè cum implicet esse corpus Christi, & orationem id enuntiantem esse falsam, mirum non est, quòd, si oratio esset falsà, non causaret, quia alioquin sequeretur duo contradictoria esse verà, cum ex eo quòd esset falsà, corpus Christi supponeretur non esse sub speciebus, ex eo autem quòd oratio causaret, sequeretur sub iisdem speciebus constitui, quod apertam inuoluit contradictionem.

Petes ergo, an nullo modo dici possint causare, vt veræ practicè?

Resp. nisi vis fiat in verbis, dici posse, quia illa loquendi formà non ineptè designatur, quòd causet seu efficiant quædam modum enuntiant. quia ergo efficiunt significando, dicuntur causare, vt significatiuè, quia verò efficiunt, quòd significant, & quemadmodum significant, possunt dici efficere, vt veræ practicè, ex quâ efficientià, & positione corporis Christi resultat in propositione veritas speculatiua, quæ est conformitas orationis cum re.

ARTICVLVS VI.

Utrum forma consecrationis panis consecratur suum effectum, antequam perficiatur forma consecrationis vini?

SANCTVS Thomas in corpore refert aliquos id negantes.

Sed eius conclusio est affirmatiua, quæ est certa, & patet ex vsu Ecclesiæ: nam post consecrationem panis, ante consecrationem calicis hostia proponitur adoranda, idem patet ex eo quòd forma consecrationis panis suam habeat significationem perfectam independentem à forma consecrationis calicis, quæ, vt sit verà, postulat, vt saltem in fine orationis sit corpus Christi sub speciebus.

QVÆSTIO LXXIX.

De effectibus Sacramenti Eucharistie.

ARTICVLVS I.

Utrum per hoc Sacramentum conferatur gratia?

INTELLIGITVR de gratià habituali, seu sanctificante.

Conclusio est affirmatiua, quæ patet ex Ioannis 6. qui manducat me, & ipse vivet propter me, vbi Christus vult manducantes eius carnem victuros vitâ spiritali, quæ non est sine gratia. patet etiam ex eo quòd Sacramenta nouæ legis gratiam sanctificantem conferant.

Idem